

FUNDAMENTVM

ro vulgari est figura, idem est in Logistico species. Omnis itaq³ Logistica computatio fit per inclusiuum quendam numerum toties in alio maiore comprehensum, quoties ipse alius in alio adhuc maiore continetur.

Logistica Computatio est in Numeratione & Operatione.

Numeratio est, quae numeri logistici significationem ac valorem exprimit: idq³ in Notatione & Reductione.

Notatio est ratio notandi species Logisticorum numerorum.

Logisticarum specierum genera tria sunt: aut enim illae logisticorum numerorum species sunt rerum integrarum, & integra dicuntur: aut ex rebus integris ortarum: idq³ ex collatione aliquot integrorum, & sexagena vocantur: aut ex fractione alicuius integri in suas partes seu minutias, & scrupula nominantur.

Specierum itaq³ in vniuersum, vti diximus, tria sunt, Integrum, sexagena, scrupulum seu minutum.

Integrum est quodlibet totum, quod sub calculum cadere potest: Ortum vero est, quicquid ex integro oritur: vt sexagena & scrupulum.

Sexagena est collectio sexaginta integrorum: Atq³ haec sexagena prima dicuntur: deinde vero collectio seu coaceruatio aliquot harum sexagenarum primarum, dicuntur sexagena secunda: itemq³ congeries aliquot secundarum, tertia: & aliquot tertiarum, quarta: & sic deinceps quoad vsus exigit.

Scrupulum est sexagesima pars alicuius integri: Atq³ haec scrupula prima vocantur: quorum rursus vnius sexagesima pars dicitur scrupulum secundum: & rursus vnius secundum, tertium: tertiumq³ vnius, quartum: & sic deinceps.

Ceterum, istae species ponuntur siue collocantur in ordinem hoc modo.

Medium locum occupant integra: species namq³ integrorum vnica duntaxat est: ideoq³ eadem in collocatione logisticorum numerorum medium semper obtinet locum. Generis vero vtriusq³ orti species variae quidem sunt, atq³ innumerae esse possunt. Ideoq³ sinistram versus collocantur ordine sexagena, ita vt prima vel minima earum species integro sit proxima: vltima vero seu maxima earundem species ab eodem integro sit remotissima sinistrorsum.

Versus dextram vero collocantur scrupula: idq³ vero tali ordine, vt prima seu maxima eorum species integro sit proxima: contra vero vltima vel minima eorundem species ab eodem integro sit remotissima dextrorsum.

Notaturq³ integrum supra scripto circulo seu Ziphra O. Reliquae vero species virgulis seu apicibus pro numero specierum: sexagena inferne dextrorsum, superneq³ sinistrorsum: scrupula vero contra, inferne scilicet sinistrorsum, superneq³ dextrorsum reflexis: vt Exempli gratia.

v	\	o	/	//	///
36.	42.	48.	24.	18.	54.

Qui numerus logisticus sic effertur:

36. Sexagena secunda. 42. prima. 48. integra.

24. Scrupula prima. 18. secunda. 54. tertia.

Atq³